



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Theologiæ Speculativæ Scholasticis Prælectionibus Et
Exercitiis Accommodatæ Libri IV**

Haunold, Christoph

Ingolstadii, 1678

Approbatio Theologica.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82733](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82733)

A P P R O B A T I O T H E O L O G I C A .

VIndicias istiusmodi quodcunque Forum examinet, non solum Licitas pronuntiabit, sed mirabitur; acumen cum habeant Ingenii & Doctrinae, quo ferire possint validissimè, attamen offendere nullibi, neque in Fidei Morumq; Dogmata, neq; in Sanctæ Charitatis, aut Modestæ Religioz præceptiones, neque adeò in ipsum, quem sibi præstituere videntur, Adversarium. Habet ille, uti petierat, pro Parente Filium, seu Discipulum, copiosè fundentem Responsa, qui utroque, Magistrum videlicet cum Discipulis, haud adeò liberali venè provocavit; & qui R. P. Christophorum Haunoldum, ad COLLIGENDVM RO-REM modestissimè se demittentem, non tulit, videat jam velut Pelago innatantem in ipsis Serenatis Fontibus ANGELICI DOCTORIS, intelligatque, quod pridem nòsse debebat, non Virum hunc tantummodo, sed Totam nostram Societatem, ut ut Sacramento nullo adstrictam, nemini ulli Doctorum plùs deferre, & sanctius irhaerere vestigiis, quàm DIVI AQVINATIS: atque adeò si hanc culpæ velis, inde facias necesse est, quòd fortè S. THOMÆ unam COMITEM incedere RATIONEM patiatur, vel etiam postponat illum, sed soli Evangelio Christi. Imò, quia non tam Vindicia hæ sunt, quàm Clypeus, tum Veritati, tum Dilecto Capiti & antiquo Decori hujus Almæ nostræ Academiæ, (quam R. P. Christophorus Haunoldus, quæ Docendo, quæ Scribendo, non mediocriter illustravit,) ex Debito præcens, ioco Dignissimum judico, qui in Publicum exponatur, ut Luce suâ ac Robore, quo pollet, & Se Se commendet, & intorta Tela suomet reddat Sagittario præcavenda.



GOTTHARDVS LVCA, SOC. IESV.
SS. Theol. Doct. Theol. Mor. Prof. Ord.
& Theol. Facult. p. r. Decanus.